



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris
Theologi Architectura Christiana**

Sandaeus, Maximilianus

Coloniae Agrippinae, 1653

2. Homo - Interior - Domus. Opus Sapientiae.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

ARTICVLVS II.

HOMO - INTERIOR - DOMVS.

Opus Sapientie.

DOMVS Interioris Architectrix est SAPIENTIA, Quæ illam commodissimo situ locauit ad Orientem, vt superius est explicatum. Eius fundamentum, saxo quolibet & rupe magis firmum, ac ære perennius, est FIDES, non fluxa, sed constans, non profana sed sacra, sincera, incorrupta, denique, non humana, sed Diuina, qualis est Christiana, Apostolica, Romana, Catholica; quâ Homo ad vitam æternam destinatus, & Baptismatis Sacramento initiatus, IESU Christi veri DEI, atque hominis salutarem doctrinam, in eius Ecclesiâ proficitur, neque sectis vel opinionibus vllis ab Ecclesiâ Catholica alienis adhæret.

Hic fundamento, ab omni parte, non minus firmas æterno ferendo parietum structuras super imposuit Architectrix. A sinistro, latere contra molestiarum omnium, & rerum sinisterarum impetuosos ventos murum altissimum inconcussæ SPEI. A dextro, aduersus insolentes palpitanis Fortunæ, eo nocentiores insultus, quo occultiores, celsissimum ex quadrato marmore parietem continuati TIMORIS. A fronte, contra Vanitatis turbines, e solido, sed perpolito lapide PARIO, in altum eductam molem CONTEMPTVS mundani fastus PONE, contra viles voluptatis corporeæ illecebras, non minus excelsam spissamque maceriem è saxis sibi coherentibus DESPECTVS blanditiarum carnis & sanguinis,

O S

AR